



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Parallela Geographiae Veteris Et Novae

Parallela Geographica Italiae Veteris Et Novae

Briet, Philippe

Parisiis, 1649

Nvm. 10. De Libiciis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13120

N V M. 9. De Salassis.

ORIGO. Galli origine fuerunt, vt ex Obsequente, & Orofio liquet, sed hos Cato apud Plinium lib. 3. cap. 20. ait Tauriscæ gentis fuisse. Gens Inalpina vulgò ab Historicis dicitur. Strabo lib. 4 ait Salassos habitasse in valle quam Fl. Duria eluit, & hoc vsos esse ad eluendum aurum, quo regio abundabat. Ab Appio Claudio Consule domiti sunt, non sine cæde & clade Romanorum, ait Florus. Anno V. C. 610. post centum annos rebellarunt, inquit Dio, sub Augusto, & à Valerio Mesallâ deuicti sunt. Sed cùm post decennium ab eodem Augusto defecissent, per Terentium Varronem, vt habet Dio lib. 53. penitus excisa gens, venditi 36. millia, præter 8. millia armatorum qui conscisi sunt, agerque eorum Prætorianis cohortibus concessus est.

FINES. *A Septentrione* habent Veragros & Sedunos, *ab Occidente* Centrones, *à Meridie* Ideonni regnum, *ab Oriente* Lepontios.

N V M. 10. De Libicis.

NOMEN & ORIGO. *Libici* apud Plinium & Ptolemæum nominantur, apud Liuium *Libicij*, itémque *Libui*, & *Lebui*, Polybio *Lebecij* dicuntur. Orti sunt teste Liuius lib. 5. ex Saluis; Plinius ex Saliis eos accersit, & Vercellas eorum urbem tradit fuisse lib. 3. cap. 17. Liuius scribit eos ad Ticinum Fl. confedisse, & eorum sæpe meminit vt lib. 21. & 33.

FINES. *ab occasu* separantur Orgo Fl. Orco à Taurinis; *à Septentrione* Alpium radicibus à Salassis, & Lepontis diuiduntur; *ab ortu* Guniâ Fl. *la Gogna* à Læuis; denique *à Meridie* Padus Fl. *le Pô*, eos à Liguribus dispescit.

N V M. 11. De Læuis & Mariscis.

NOMEN & ORIGO. Apud Polybium Læi dicuntur, & Λæιοι, suntque origine Galli: at Liuius & Plinius eos Ligures esse contendunt; conciliari possunt omnes, quia Ligures gentem esse Gallicam certissimum est.

Iis iuncti fuerunt MARISCI qui quondam ab illis discreti demum in gentem vnã coaluerunt, & Marisci inferiores perdidere